



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1653**

2. Secunda Conuenientia inter Fidem & Fundamentum est, quod sint  
Prima inchoatione, non dignitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

## ARTICVLVS II.

## SECVN. CONVENIENTIA

*inter Fidem & Fundamentum est, quod sint prima,  
inchoatione, non dignitate.*

FIDEM docent Theologi (a) esse Primam Virtutem inter Christianas, non quidem ordine dignitatis, vt contendunt hæretici; sed vt Fundamentum domus, quod dignitate reliquas ædificij partes non superat: est tamen prima inchoatione: prima secundum executionem, non secundum intentionem. Et sanè constat, Doctore Paulo, Caritatem maiorem prioremque esse Fide, si dignitatem spectes. *Nunc, inquit, manent, Fides, Spes, Caritas: maior autem horum est Caritas, 1. ad Corinth.* Loqui autem Apostolum, de dignitatis præstantia, & maiore excellentiæ, liquet ex capitis duodecimi extremis: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. quamnam illam? Supereminentem Scientia Caritatem, ad Ephesios III. ac proinde statim capite XIII. ad Corinth. longum textit sermonem; in quo declarat, Caritatis necessitatem, efficaciam, perpetuitatem, ac præcellentiam supra Fidem, & Spem reliquaque DEI dona. Ad Colossenses autem cap 3. hortatur: Super omnia autem Caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

FIDES igitur est Prima Virtutum, vt Fundamentum in ædificio, origine, & vt loquimur in Scholis nostris, viâ generationis, quâ Fundamentum præcedit parietes, contignationes, tectum. Siquidem Fides ostendit finem supernaturalem vltimum, ad quem ceteræ virtutes Christianæ disponunt: hac autem Fidei notitia excita-

R 3 tur

(a) S. Thomas 22. q. 4. art. 7. Valentia dup. 3. Bannez q. 4. art. 7.

tur & propellitur homo ad reliquarum virtutum officia. Et quidem, ut nihil in naturalibus est volitum, nisi præcognitum, ita in supernaturalibus, nec speratur quicquam, nec amatur, nisi Fide prius creditum. Quocirca necesse est, aliquam Fidei functionem circa DEVM tempore, vel natura præcedere, ut aliarum virtutum officia ad vltimum finem disponant per meritum, id est, ut *Ædificium Spirituale* perficiant.

Vtitur ad idem probandum alio argumento S. Thomas, quo etiam confirmatur, Fidem esse Fundamentum respectu Caritatis, cui præsupponitur. Sic autem ratiocinatur. Fides prima est inter virtutes Theologicas: hæ autem sunt reliquis omnibus virtutibus priores. Itaque Fides absolutè est prior omnibus. Antecedens inde deducitur: quia cognitio vltimi finis, quæ pertinet ad Fidem, prior est actibus voluntatis, atque ideò Spei & Caritatis circa eundem vltimum finem. Quod autem virtutes Theologicae præcedant omnes alias, est satis euidens, quoniam occupantur circa vltimum finem, qui in agibilibus ceterorum omnium est principium.

## ARTICULUS III.

*TERTIA CONVENIENTIA*

*inter Fidem & Fundamentum est, quod vtrumque sit Primum, in genere causæ materialis.*

**E**X eo, quod Fides sit *Prima Virtutum*, veluti Fundamentum domus, efficiunt Theologi, quod sit prima in genere materialis causæ. Et sanè Fides habet se, tanquam materia: quæ formarum est basis, quibus substernitur. Quare, ut se habet corpus respectu formæ ac  
compo-